



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Quòd ad timorem commoue[n]di sint ij, qui rebus secundis efferuntur.
Cap. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

& parata tenebrae, & quae sequuntur. Inculcandum est
 sapè, neminem potuisse, nec posse effugere diuinam iusti-
 tiam, quo diutius dissimulat Deus peccata hominū pro-
 pter poenitentiam; eo grauiore poenas illos manere, qui in
 peccatis persistunt: vitæ breuitas, inopinata & immatu-
 ra multorum mors, ad timorem multos erudire solet: do-
 cent varij morbi timorem Dei, docet sterilitas, docent va-
 ria calamitates, acerrimi aduersarij; quibuscum perpe-
 tua pugna nobis est, timorem maximè excitare debet, in
 primis diabolus, qui tanquàm leo rugiens, circuit, qua-
 rens quem deuoret: qui, vt sanctissimus scribit Basilus,
 postquam ab auctore suo defecit, inimicus Dei, hominis
 ad imaginē eius constituti, est factus; qui idè dicitur sa-
 thanas quia bono aduersatur. ita enim illa vox usurpa-
 tur in libro Regum impostor, calumniator, peccati impul-
 sor, et accusatur qui interitu animarum gaudet, ad noua
 scelera committēda, exemplo aliorum semper inducens.

Quòd ad timorem commouēdi sint ij, qui re-
 bus secundis efferuntur.

Cap. XIX.

AD timorem excitandi sunt ij, quibus omnia è sen-
 tentia eueniunt: ac propterea efferuntur, atque eis
 proponenda sunt illa verba B. Hieronymi: Vbi tranquil-
 litas, ibi tempestas est: quae explicans Ecclesiasticus ora-
 tor, dicere poterit, tunc maximè oppugnari Christia-
 num, cum se oppugnari nescit, grauiore illos esse mor-
 bos, qui nō sentiuntur: rerum affluentiam ac prosperita-
 tem, insolentiae matrem esse consueuisse, quod exemplo
 Dauid confirmari potest, qui dum à Saul iniurijs affice-
 retur,

retur, dum persecutionibus ageretur, dum per desertam fugeret, nè in eius manus incideret; semper innocentiam suam seruauit: & ided dicebat, Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. at ubi, deuidis hostibus, pace fruebatur, in spurcissima illa grauisimi adulterij & homicidij peccata prolapsus fuit. Quare non immeritò in suis psalmis cecinit: Noli emulari in eo, qui prosperatur in via sua. Ostendat igitur sapientes viros, etiam apud ethnicos orare Deum solitos, vt aliqua ratione eorum prosperitatem temperaret. quod preceptum Christianis in primis conuenit, quorum est proprium benefacere, & iniurias ferre: quibus cum acerrimis & grauisimis inimicis pugna est proposita: qui nisi certent, coronam non consequuntur, quos semper decet esse pauidos, & veluti peregrinos, de caelesti patria semper esse sollicitos. moneat praterè, vt populus in rebus prosperis, inconstantia huius mundi recordetur: mortem, quae longè abesse non potest, ante oculos habeat: Deum largitorem omnium bonarum rerum agnoscat, multos sanctitate & doctrina, & varijs virtutibus insignes saepe commemoret, quibus Dominus tantam bonorum copiam est largitus, vt propria peccata crebrius & libentius, quae ceteri cogitent, vt ea confiteantur, vt ad magis cognoscenda diuina beneficia, & ad gratiarum actionem excitentur, quos fortassè alloquebatur propheta, cum dicebat: Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore: quae verba interpretans beatus Augustinus, inquit: Exultatio, vt gratias agamus; timor, nè cadamus.

Quomo.